

fuit ordinem Fratrum Mendicantium; & sequens in gradu statim successit in regno, secundum Bald. in *dict. leg. Si quis prior. §. Talem de secund. nupt.* Unum tamen est, quod hoc casu propter bonum reipublicæ, si non reperiatur successor sanguinis qui succedat, potest Papa dispensare ut exeat Monasterio, & contrahat matrimonium pro generatione suscipienda, licet jam fecerit professionem; & in expresso ita tenet Bald. in *leg. Si pater. §. Arrogat. ff. de Adopt.* argumento illius text. ubi dicit, quod magis debet studere homo naturali procreationi liberorum, quam fictæ & artificiali per arrogationem; & illum dictum sequitur & reputat singulare Jas. in *leg. Si arrogat. ff. eod. tit. 2. col. num. 4.* sequitur & reputat mirabile Jas. in *leg. fin. Cod. de Transact. 2. col.* tenet etiam Anchar. in *consiliis suis, consil. 339. 3. column.* ubi dicit, quod quidam, nomine Reminus, ex sanguine Regis Aragonum, fuit Monachus & Sacerdos; & propter defectum successorum Papæ dispensavit ut exiret Monasterio & duceret uxorem, ex qua habuit filiam, quæ successit in regno; & propter hoc semper in scriptura & constitutione majoratus expressè dicitur, quod non succedat Clericus, vel Religiosus. Si verò majoratus vel melioratio non consistit in iurisdictione, vel regimine, benè poterit talis Monachus vel Religiosus succedere, & bona erunt penes Monasterium pro tempore vitæ ipsius Monachi vel Religiosi, & post ejus mortem venient in sequentem successorem, secundum dispositionem constituentis, argumento text. in *Authentic. ingressi, Cod. de Sacros. Eccles.* argum. etiam textus in *leg. Statius Florus: §. Cornelio felici. ff. de Jure fisci,* & ibi expressè tenet Bart. Alber. & communiter DD. text. in *leg. Peto. §. Prædium. ff. de Leg. 2.*

(p) Imò neque indistinctè monachum Ordinem ingressum admitti posse ad majoratum, tradit Molin. de *Primogen. lib. 1. capit. de Primogen. lib. 1. cap. 13. num. 68.* & vide Gregor. in *l. 2. tit. 1. §. 1. part. verb. Siendo home para ello.* Matienz. alios referens, in *l. tit. glos. lib. 5. n. 18.*

(q) Prout dicit Gregor. in *leg. 2. tit. 25. part. 2. in verb. Siendo home para ello, column. 2. ad med. Molin. lib. 10. cap. 13. num. 97.* latè Tiraquell. de *Primogen. quæst. 44. & seqq.* plures concordantes referens, & novissimè Matienz. in *dict. l. relata. tit. 7. lib. 5. gloss. 1. num. 19.* Acosta de *Majoratu bonorum Reg. coron. num. 33. Velazq. hic gloss. 4. num. 49.*

(r) Quod intelligo, modò talis majoratus consistat in iurisdictione & gubernatione salutari. Nec obstat si dicas, quod Clericus vel Monachus non potest exercere iurisdictionem criminalem laicorum, ut in *cap. Archiepiscopatu de raptorib. quæst. 63. tract. 2. in sanguinis, ne Clerici vel Monachi & in cap. fin. eod. tit. & in 6. cum similibus,* & utrobique Gloss. ordinaria & communiter DD. quia respondeo quod non exerceat per se, sed genericè vel specificè committit causas criminales laico juris Canonici & Pontificii potestate, quod in hoc indubitanter potest dispensare secundum eodem; & si à delegato appelletur, iterum poterit causam committere & delegare. Nec iterum obstat si replices, non posse esse majorem effectum in productio quàm in producente; quia respondeo quod non habet vim, potestatem, vel effectum ab eo, sed ab ipso Papa & juris dispositione: ita singulariter Bald. in *leg. 1. ff. de Officio Proconsulis.*

textus in *leg. Cum pater. §. Hæred. 1. eod. titul.* & ibi etiam tenet Bartol. & communiter DD. textus in *l. Ex factio, §. Ex factio. ff. ad Trebell.* textus in *l. Si mors. ff. de Donation. inter virum & uxorem,* text. in *leg. Cum fisco. ff. ad Syllan.* textus in *l. Arboribus. §. 1. ff. de Usufruct.* text. in *leg. Ex parte. §. In insulam. ff. de Verbor. obligation.* Confirmatur etiam ex doctrina Gloss. Ordinariæ in *dict. Authent. ingressi, Cod. de Sacros. Eccles. in gloss. magn. in fin. & gloss. in Authentic. idem est, Codic. de Bonis quæ liber. & utrobique DD. ubi habetur, quod si fructuarius ingrediatur Religionem, non extinguatur usufructus, sed transit in Monasterium per tempus vitæ suæ. (p) Quid autem si primogenitus sit Clericus in sacris, an succedat in regno, majoratu, vel melioratione? Et breviter dicendum est, quod sic; (q) quia dispositio vel constitutio generalis & favorabilis semper extenditur ad Clericos; ita tenet Abbas in *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. antepen. & pen. col. num. 25.* & ibi magis communiter DD. & in aliis locis per eos relatis: Et in terminis ex isto fundamento istam sententiam & conclusionem tenet Joan. le Cirier in *tract. Primogenit. 23. 1. lib. 1.* ubi latè vide; & Martin. de Laud. in *tract. de Primogenit. 30. quæst. (r)**

-67 Decimotertiò principaliter quæro, si Rex, Dux, Comes, Marchio, vel alius dominus temporalis, vel successor majoratus, antequam esset Rex vel actualiter successor habuit filium, & postea alium; quis istorum succedat & præferatur? Et videtur quod secundò natus postquam pater successit in regno vel majoratu; argumento text. in *leg. Si senator, Codic. de dignitatibus leg. 12.* ubi habetur, quod filius natus & conceptus antequam pater consequutus esset dignitatem, non gaudet ejus privilegio; & ibi ad

ad hoc notant & commendant Bart. Plaz. & communiter DD. text. in *leg. Filiis, vers. Senatores, el 1. ff. Ad municipales,* ubi dicitur, quod ita demum filius vel nepos Senatoris gaudet ejus privilegio & dignitate, quando est natus post dignitatem consecutam; & ad hoc notat Glos. ordinar. & communiter DD. text. in *leg. 2. §. In filiis. ff. de Decurionib.* textus in *leg. final. Cod. eodem titul. lib. 10.* ibi: *Anterioribus filiis in conditione pristina remansuris.* text. in *l. Divo Marco, Cod. de quæst. juncta Gloss. & aliis DD. text. in l. emancipatum. ff. de Senat. text. in leg. 2. Cod. de Libert. & eorum liber. text. in l. Titius. ff. de Mil. test.* Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria reputata singularis in *l. Imperialis. §. Illud, in glos. 1. Cod. de Nuptiis,* & ad hoc eam notat & commendat ibi Bart. qui dicit, quod contigit de facto in duobus filiis Philippi Regis Franciæ. Petr. de Bellaper. Cin. Alber. Bald. & communiter DD. & illam Glossam ad hoc notat & commendat Bart. in *leg. Cum satis. Cod. de Agri. & cens. lib. 10. 2. col. num. 7.* idem Bart. in *leg. Si senator. Cod. de Dignit. lib. 12.* & ibi Lucas de Peña, qui refert ita fuisse judicatum per Anaphernem inter Xerxem & Arthemem filios Darii Regis Persarum; nam Xerxes fuit Rex pronunciat, ex eo quod natus fuit postquam pater ejus esset Rex. Alber. in *leg. Senatoris filium. ff. de Senator. & ibi Jacob. de Rabe. & Andr. de Pisis,* quos ipse refert: idem Alber. post Cin. in *l. Moris, vers. Parentes. ff. de Pænis. Din. & Antiqui in leg. 2. §. In filiis. ff. de Decurion. Abbas Panorm. in cap. Licet, de Voto 3. col. num. 11.* Anania in *cap. 2. de Judæis, fin. column. in medio. Felin. in cap. Prudentiam, de offic. deleg. 3. column. num. 8.* Mattheus de Laude in *tract. de Primogenitur. 31. quæst. Cifuentes in hac l. 40. in l. Taur. 4. quæst. facit etiam Gloss. in cap. Jam itaque, 1. quæst. Adde tamen, quod prædicta conclusio debet intelligi, quando regnum vel dignitas defertur alicui de novo per electionem; quia debet succedere & præferri filius natus post regnum vel dignitatem adeptam; secus verò si deferatur alicui de jure successionis, quia descendit ab avo, vel ab aliis ascendentibus; quia tunc debet succedere & præferri filius antea natus; ita singulariter tenet & declarat Petr. de Bellaper. in *l. Ex libera, Cod. de Suis & legit. hæred. idem Petr. Cin. Bald. & alii DD. in leg. Imperialis. §. Illud. Cod. de Nuptiis. Jacob. de Sanct. Georg. in tract. feud. in part. Quid sit Rex, 3. fol. fin. col. n. 11.**

Sed advertendum, quod indistinctè ego teneo contrarium, imò, quod utroque casu filius antea natus succedat in regno vel dignita-

te; quia cum habeat jus succedendi in bonis futuris acquirendis per patrem, meritò succedit in istis, licet in eis sit dignitas annexa: Item, etiam sequeretur quod si Rex ille vel possessor majoratus non haberet alium filium nisi antea natum, non succederet; quod esset absurdum: Et in expresso ista consideratione ita tenet Salyc. in *dict. leg. Imperialis. §. Illud in fin. Cod. de Nupt. & tenet notabiliter & copiosè Joan. le Cirier in tract. de Primog. 12. quæst. primi libri: ubi subdit in finalibus verbis, quod eam approbat consuetudo, quæ est optima legum interpretes. Confirmatur etiam, quia jus succedendi causatur à jure sanguinis, & est inseparabilis; non verò causatur à dignitate. Item facit; quia si filius antea natus decederet relicto nepote, non succederet. Nec obstat textus in *dict. leg. Si senator. Cod. de Dignit. cum similib.* Quia debet intelligi, quando dignitas competit per viam electionis, & non habet causam successionis anexam.*

68 Decimoquartò principaliter quæro, si duo vel plures successivè nascantur ex eadem matre, & non possit cognosci quis eorum prius editus sit; quis eorum succedat & præferatur in regno vel majoratu? Constat enim, quod naturaliter uno partu & impetu non possunt simul nasci, sed successivè unus post alium, ut in *leg. Arethusa ff. de Statu hom. ibi: Nec enim natura permittit simul uno impetu duos infantes de utero matris procedere.* Hoc enim casu, quando successivè nascuntur, & non potest constare quis eorum prius editus sit, fortè quia mater peperit sola; vel dato quod ibi essent obstetrices & aliæ matronæ, peperit in loco obscuro & secreto, vel fortè in hoc prædictæ matronæ non attendunt; est dubium maximum, quis eorum succedat & præferatur? Pro cujus perfecta declaratione dico & præsuppono, quod si constare possit quis eorum prius de ventre matris natus sit, ipse debet præferri; ita probat text. formalis in *dict. leg. Arethusa, cum l. Sequent. ff. de Statu homin. & ibi Bartol. & communiter DD. text. in leg. Si fuerit. §. fin. ff. de Rebus dub. Et probatur etiam ex Divina Scriptura, ex historia Esau & Jac. *Genes. cap. 25. & 27.* ubi habetur, quod Rebecca uxor Isaac erat prægnans, & duo filii gemelli erant in utero ejus, Esau & Jacob, & tempore partus, unus manu sua plantam alterius tenebat, & tandem Esau prius natus est & præcessit Jacob, & consequutus fuit primogenituram. Confirmatur etiam, quia quando in aliquo actu vel dispositione potest considerari prælatio vel privilegium ex anterioritate vel posterioritate temporis, sufficit constare de prioritate etiam per momentum temporis; ista est Glos. singularis juncto text. in *leg.**

leg. Si ex pluribus. §. fin. glos. fin. ff. de Solutio-
nib. quam ibi ad hoc notat Paul. & com-
muniter DD. & illam Gloss. ad hoc notat &
commendat Bald. dicens raro reperiri, in l.
Imperator, la. 3. column. idem Bald. in cap.
Ergo enim extra, de Jure in 1. column. num. 1.
Notat etiam & commendat Socin. in l. 1. ff.
Solut. matrim. 1. col. Barb. in cap. Consuluit de
Offic. del. 8. col. num. 35. similis tamen Glos.
& expressa est in cap. Duobus. verb. Si non
appareat, de Rescript. in 6. alia in cap. Si à
Sede Apost. in gloss. 2. de Præb. 2. eod. lib. &
ibi communiter DD. Pro qua sententia & con-
clusionem facit bonus text. in l. Si fundus §. Si
duo. ff. de Pign. & ibi Glos. ordinaria & com-
mun. opin. DD. & in expresso istam sententiam
& conclusionem tenet Joan. Andr. in Addit. ad
Specul. in rub. de feud. 4. column. Are. in. in leg.
Ex duobus, de Vulg. & pupil. 1. column. n. 3.

Item etiam dico & præsuppono, quod si unus
sit masculus, & alia femina, semper præferatur
masculus, dato quod non constet de prioritate
vel posterioritate, etiam in casu quo major de-
beret admitti, nulla facta distinctione sexus; ar-
gumento textus notabilis in l. 3. §. Si duo. ff.
de Legit. tutorib. text. in l. Fuerit. §. fin. ff. de
Reb. dub. text. in l. fin. ff. de Fide instrum. text.
in l. Idem erit. ff. de Statu hom. & in expresso,
istam sententiam & conclusionem tenet Gloss.
ordinaria, Bald. & communiter DD. in dict. l.
Idem erit. ff. de Stat. homin. Joan. le Cirier in
tractat. de Primogenit. l. 1. lib. 11. quest. in
1. conclus. Pro qua sententia & conclusionem est
hodie lex notabilis partit. 12. tit. fin. 7. part.

Si verò omnes sint masculi, vel omnes fe-
minæ, & nullo modo constet, nec possit con-
stare quis eorum prius natus sit; tunc est ar-
dua questio nostra, quis eorum præferatur? In
qua reperio varias & diversas opiniones. Prima
est, quod nullus eorum succedat, propter in-
certitudinem; sed Regnum vel majoratus de-
feratur alteri sequenti in gradu; vel non extan-
te successore in Regno, eligatur Rex; & in
alio majoratu inferiori statim ipso jure anulle-
tur & extinguatur ipse majoratus, & bona sint
divisibilia: & habeant naturam aliarum rerum
particularium & patrimonialium: Et hoc tali
fundamento, quia modò loquamur in institutio-
ne universali, modò in legato particulari, sem-
per incertitudo vitiat dispositionem; text. est
in l. Tempus. §. 1. ff. de Hered. instit. text.
in l. Quoties. §. Si quis nomen, eod. tit. text.
in leg. Si fuerit. ff. de Reb. dub. text. in l.
Si quis de pluribus, eod. tit. text. in leg. Cum

ex pluribus, de manumis. testam. text. in l. Duo
sunt Titii. ff. de Testamentar. tutel. & tradit
magistraliter Bart. in leg. Quidam relegatus. ff.
de Rebus dub. communiter DD. & Jas. in l.
Si quis filio. §. Si quis plures. ff. de Leg. 1. &
in expresso, ex isto fundamento & ratione istam
sententiam & conclusionem tenet Joan. de
Imol. in l. Ex duobus, 1. col. in med. ff. de
Vulg. & pup. Sed ista opinio & conclusio non
videtur vera nec tenenda; quia sequeretur ma-
ximum inconveniens, quod extantibus proxi-
mioribus, Regnum vel majoratus deferatur re-
motioribus in gradu; & eis non extantibus,
deferatur per electionem.

Secunda principalis opinio est, quod formo-
sior ex eis admittatur, & præferatur in succes-
sione; ita Bald. in 1. constit. Digest. Veteris.
§. Itaque. 1. col. in medio. Pro quo facit dictum
Buridan. 1. Polit. 9. quest. dicentis, quod ille
inter cæteros eligendus est in dignitate vel of-
ficio, cujus aspectus inducere potest amorem in
subditos, & timorem in hostes; & Francisci
Barbar. in libello quem de re uxoria edidit, di-
centis formosos cuncti diligunt, dignos credunt
Imperio; eis facilius obsequuntur; & Porphir.
dicentis; species Priami digna est Imperio; &
Virg. dicentis, Grator est pulcro veniens è cor-
pore virtus. (s) Sed ista opinio & conclusio nullo
modo est tenenda, tum quia nullo jure pro-
batur: tum etiam quia formositas vel defor-
mitas non est causa successionis, sed conjunctio
sanguinis, & proximitas graduum, quando
defertur ab intestato; vel voluntas defuncti,
quando defertur ex testamento, ut in l. 2. §.
Hæred. ff. de Suis & l. hæred. & in l. 1. & per
totum. ff. & Cod. de Success. edict. & in l. 1. & per
totum. ff. Unde cognati, & in §. 1. & per totum.
In tit. de Leg. agnat. succes. & in l. 3. §. de Illo.
ff. Pro socio, & in l. 1. & per tot. Cod. de Hæred.
instit. Item, quia formositas & pulchritudo ætate,
vel & aliis causis evanescit, ut quotidie videmus.

Tertia principalis opinio est, quod robustior
admittatur & præferatur, quia celerius præsum-
itur exiisse de ventre matris suæ, argumento
text. in l. Si fuerit. §. fin. ff. de Rebus dub. Et
in expresso istam sententiam & conclusionem
tenet Bald. in dict. 1. constit. Digest. Veteris. §.
Itaque 2. column. in med. Sed ista opinio similiter
nullo modo potest esse vera nec tenenda: Pri-
mò, quia nullo jure nec ratione probatur: Se-
cundò, quia in infantili ætate impossibile esset
illam qualitatem cognoscere: Tertio, quia si in
superveniente ætate expectarem illud cognos-
cere, interim vacaret Regnum vel majoratus, &
esset

(s) Vide quæ late Tiraquell. de Primogenit. quest. 7. opin. 8.

esset maximum inconveniens & discordia, nec
adhuc postea posset illud cognosci nisi per pug-
nam & duellum, quod est illicitum & repro-
batum, ut in cap. 1. & per totum de Clericis
pugnantibus in duell.

Quarta principalis opinio est, quod pater
eorum eligat quem velit succedere, & sit locus
gratificationi, propter maximum dubium & in-
certitudinem; quia quando actus explicandus
in uno ex pluribus est individuus, semper est
locus gratificationi; textus est notabilis in leg.
Generaliter. §. Quid ergo, el. 2. ff. de Fidei-
commiss. libertatib. textus in leg. 3. §. Si cum
omne, ad Syllam. text. in cap. Duobus de Res-
cript. lib. 6. & in expresso ita tenet Joan. Andr.
in addit. ad Specul. in tit. de Feudis. 4. column.
Bald. in l. In quibus casibus. Cod. de Secund. nupt.
2. column. in fin. num. 2. Alexand. in addit. ad
Bartol. in leg. Si fuerit. ff. de Rebus dub. Cor-
set. in tract. de Potestate Regia. 7. quest. prin-
cipal. Joan. le Cirier, qui plenius quàm alius
tetigit questionem, in tractat. de Primogenit.
lib. 11. quest. in 4. conclus. cum hac tamen mo-
dificatione, quod sit locus gratificationi per
magnates & populos Regni; non verò per ip-
sum patrem. Sed ista opinio & conclusio simi-
liter non est vera nec tenenda, quia nullo ju-
re nec ratione probatur: Item quia, quia non
est generalis; quia fortè pater non eligit, vel
morte præventus, vel alia quavis causa vel
impedimento.

Quinta principalis opinio est, quod illud du-
bium dirimatur inter eos iudicio sortis; ar-
gumento textus in leg. 3. versic. Sancimus. Cod.
Commun. de Legat. ubi habetur, quod si pluri-
bus est legata res quam velint eligere, & in
electione discordant, standum est iudicio sortis;
cujus verba sunt: Sancimus itaque in omnibus
hujusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, &
sortem inter altercantes adhibendam; & ad hoc
notat ibi Glossa ordinari. text. in leg. Sed cum
ambo. ff. de Judic. ubi dicitur, quod quando in
iudiciis communibus familiæ eriscundæ, com-
muni dividendo, & finium regundorum, quis
prius provocat vel prævenit in casu, ille dicitur
actor; sed quando ambo simul provocant & ap-
parent, sorte dirimitur, quis eorum censendus
sit actor. Probat etiam text. in leg. Si que sunt
cautiones. ff. Famil. erisc. ubi habetur, quod
quando hæredes discordant apud quem debeant
esse instrumenta hæreditaria, dirimitur iudicio
sortis; textus in leg. 2. Cod. Quando & quibus
quart. pars debeat. ibi: Electio ex sortis felicitate
contingat. notabiliter in cap. Sors. caus. 26. q. 2.
& in cap. 1. & per totum. extra, de Sortilegiis.
Et hoc iudicium sortis est tantæ potentæ, quod
ab eo non potest appellari; ita Bald. in dict.

leg. 3. Cod. Commun. de Legat. 1. column. in fin.
& sequitur & reputat ibi singulare Jas. 2. co-
lumn. num. 10. & sequuntur communiter alii
DD. idem Jas. in Hujusmod. fin. 3. column. nu-
mer. 12. ff. de Leg. 1. Sed ista opinio & con-
clusio similiter non est vera nec tenenda: Pri-
mò, quia quando dubium vertitur super fac-
to, & non super jure, non habet locum iudi-
cium sortis; ista est Glossa reputata singu-
laris in leg. Unica. Cod. Uti possidetis in verb.
Prohibebit. in fin. quam ibi notant & commen-
dant Doctor. Tenet etiam Bart. in leg. Si duo.
ff. Uti possidetis. 2. column. in fin. Joan. Andr.
in cap. Licet, extra de Probation. fin. column. &
ibi communiter DD. Sed istud dubium consistit
in facto, ut in leg. Idem erit. ff. de Stat.
homin. Ergo, &c. Secundò, quia iudicium sor-
tis numquam habet locum nisi in casibus à ju-
re expressis; ita tenet singulariter Bald. in
leg. 2. Cod. Quando & quibus quart. pars deb.
lib. 10. argumento illius text. & argumento textus
in dict. leg. 3. vers. Sancimus. Cod. Commun.
de Legat. quod dictum sequitur & reputat sin-
gul. Jas. in dict. leg. 3. 2. column. num. 9. Ter-
tio, quia iudicium sortis non habet locum nisi in
levibus causis, argumento prædictorum jurium;
ita Angel. Paul. & communiter DD. in leg.
Sed cum ambo. ff. de Judic.

Sexta principalis opinio est, quod hoc casu
propter maximum dubium & incertitudinem
uterque admittatur, & succedat in Regno vel
majoratu quantumcumque indivisibili. Pro qua
sententia & conclusionem primò facit textus in
leg. Ex duobus. ff. de Vulg. & pup. ubi habetur,
quod si pater hæredem substituit uni ex duo-
bus filiis suis impuberibus, qui supremus more-
retur, & contingat quod ambo simul decedant
& moriantur, utrique debet succedere substitu-
tus; text. in leg. Qui ex liberis. ff. de Bonor. pos-
sess. secund. tab. textus in leg. Qui filius. §. 1.
ff. de Legat. 1. ubi, si testator legat centum si
qua filia sibi nata sit, & nascantur plures, utri-
que debentur integra centum, text. in leg. 2. §.
Hæreditas. ff. de Suis & legitim. hæredib. ubi ha-
betur, quod proximus dicitur ille, quem nemo
anteceat; ergo in proposito nostro uterque si-
mul debet admitti, quia æqualiter est proxi-
mior & primogenitus, text. in leg. Cum inter,
Cod. de Fideicommissar. libertatib. ubi habetur,
quod si libertas fuit relicta posthumo nascituro,
& simul plures nascantur uno partu, omnes
consequuntur libertatem. Et in expresso istam
sententiam & conclusionem tenet Bald. in leg.
Ex duobus, in fin. ff. de Vulg. & pupil. & ibi
Angel. de Perus. Alexand. de Imol. & alii Mo-
dern. idem Bald. ubi notabiliter loquitur, in Au-
thent. ex testamento. Cod. de Collat. final. column.
vers.

vers. 18. capitulum. idem Bald. in 1. constit. Digest. veter. §. Itaque. 2. column. in medio. Alexand. in leg. Qui filius. §. 1. fin. column. ff. de Legat. & ibi Modernus Florian. in leg. Qua pater. ff. Famil. ercisc. 4. column. num. 13. Jas. in leg. Si extraneus. 4. column. num. 16. de Condi. ob causam. Felin. in cap. Capitulum Sanctæ Crucis de Rescriptis. 16. column. versic. de Duobus. Martin. de Laud. in tract. de Primogenitur. 57. quest. Cifuentes in hac l. 40. Taur. 3. quest. & ibi Palac. Rub. num. 6. Pro qua sententia & conclusione est hodie in nostro regno notabilis lex Partit. 12. tit. fin. 7. part. Confirmatur, quia in jure nostro & historiis reperimus duos simul fuisse Reges vel Imperatores in Regno vel imperio; text. est in leg. Divi fratres. ff. de Jure patron. text. in leg. Divi fratres. ff. de Pœnis, textus in leg. Si adulterium cum incestu. §. Imperatores. ff. de Adulter. text. in leg. Imperator. ff. Ad municipal. text. in leg. Imperatores, eodem titul. textus expressus & formalis in cap. Tunc autem. 21. distinct. & ibi notat Glossa ordinaria & communiter DD. in cap. Non autem caus. 7. quest. 2. & ibi bona Glossa, & communiter DD. Nec obstat si dicatur, quod Regnum, vel Imperium, vel majoratus, qui consistit in jurisdictione, est indivisibile, ut in cap. 1. §. Præterea Ducatus de prob. feud. alien. per. Feder. & in cap. Licet de Voto, & latè supra probatum est; ergo impossibile videtur quod sit pœnes duos. Quia ad hoc subtiliter respondeo, quod Regnum, Imperium, vel majoratus & ejus jurisdictio non dividitur, sed pœnes quemlibet est in solidum, quia modò loquamur in jurisdictione, modò in alio jure individo, si competat pluribus, semper competit omnibus in solidum; text. est in l. 1. ff. de Offic. Consul. textus in leg. 2. §. Ex his, & §. Item si in facto. ff. de Verbor. obligation. textus in leg. Stipulationes non dividuntur, cum materia, eod. tit. text. in leg. Heredes. §. Antea stipulatio. ff. Famil. ercisc. text. in leg. Viæ in fin. ff. de servit. text. in leg. Si unus, versic. fin. ff. de servit. rust. prædior. text. in leg. Fideicommiss. §. fin. de Leg. text. in leg. fin. ff. de Servit. legat. quo casu uterque habeat administrationem in solidum, taliter quod sit locus præventioni. Vel possunt inter se administrationem dividere per regiones; argumento textus notabilis in dict. leg. 1. ff. de Offic. Consul. argumento etiam textus notabilis in leg. Inter tutores. ff. de Administr. tutor. ubi habetur, quod plures possunt esse tutores alicujus pupilli; & uterque habeat jus tutelæ in

solidum tanquam individuum, & uterque poterit in solidum administrare, nisi administratio sit inter eos divisa per loca, vel regiones; & ibi notabiliter Bartol. & communiter DD. textus in leg. Decretos. §. Si duobus eod. tit. text. in leg. 3. §. final. eodem tit. textus in leg. fin. Cod. de Autoritat. Præsid. textus in leg. 1. Cod. Si ex pluribus tutoribus, &c. textus in leg. 1. §. Si plures. ff. de Exercit. textus in leg. 2. Cod. de Dividend. tutel. notat plenè Bart. & ibi communiter DD. in leg. Si uni. ff. de Re judic. Abbas, & Canonistæ in cap. Prudentiam de Offic. delegat. quo etiam casu, si unus eorum habeat liberos, & non alter, succedet major; si verò uterque habeat liberos, succedet etiam ille qui prius ex alvo editus sit. Item etiam ex iis potest inferri, quod si ille, qui constituit vel fundavit majoratum, vocavit aliquos alternativo modo, dicendo, quod nominabat Titium, aut Sejum; quod non vitietur dispositio, sed uterque admittatur sicut supra dixi & fundavi in pluribus simul natis ex eodem partu; quia alternativa posita inter personas honoratas resolvitur in conjunctam: ita probat textus singularis, & unicus in jure in leg. penultim. Cod. de Verbor. significat. ubi disponitur, quod si hæreditas, legatum, tutela, vel libertas relinquatur duobus vel pluribus alternativo modo, talis alternativa resolvitur in copulativam, & sic omnes pariter & simul admittantur; intelligendo & declarando isto modo, quod si tale commodum vel relictum est merè dividuum, ut hæreditas, legatum, vel quælibet alia res similis, quilibet admittitur pro parte; si verò sit merè individuum, ut tutela, libertas, servitus, jurisdictio, majoratus, vel similis dignitas, quilibet admittitur in solidum: Et in terminis ita tenet & declarat ibi Glossa ordinaria, Odofred. Petr. Cyn. Jac. Butr. Paul. Angel. Salyc. Alexand. Jas. & communiter DD.

69 Decimoquinto principaliter quæro, si primogenitus est demens, furiosus, vel mentecaptus, an excludatur à successione Regni vel majoratus, & succedat sequens in gradu? In quo articulo resolutivè dico, quod si talis primogenitus habet illud vitium perpetuum à sua natiuitate, statim excluditur, & succedit sequens in gradu; quia lex vel dispositio, quæ vocat primogenitum ad successionem, debet intelligi de eo qui naturaliter nascitur habilis, argumento text. in l. Ut gradatim. ff. de Munerib. & honorib. (t) Si autem habet illud vitium ex postfacto ex aliquo casu vel accidenti; tunc ipsemet succedit,

(t) Hanc etiam resolutionem scribit Tiraquell. de Jure primog. p. 23. in pr. & quest. 21. n. 11. Menchac. de Succ. creatione. §. 21. n. 148. Corn. cons. 42. l. 4. Molign. in cons. Parisiensib. tit. 1. §. 8.

cedit, dato sibi curatore, vel administratore; quia in persona sua jam est radicatam jus successionis; nisi aliud dicatur expressè per disponentem vel constituentem; ita probat text. singularis & unicus in jure in cap. Grandi de Supplen. neglig. prælat. ubi ex ista causa datus fuit curator vel administrator per summum Pontificem Regno Portugaliæ. Et ad hoc notat & commendat ibi Gloss. ordinaria Joan. Anton. Arch. Domin. Anchar. & communiter DD. Et in expresso per illum textum istam sententiam & conclusionem tenet Bald. in capit. 1. fin. column. de Success. feudi, idem Bald. in Authent. hoc amplius, col. num. 10. Cod. de Fideicommiss. Alvarot. in cap. 1. §. Mutus, 3. column. num. 7. Episc. vel Alvet. in lib. Feud. Martin. de Laud. in tract. de Primogenitur. 10. quest. princip. Anton. Corse. in tract. de Potestate Regia, 10. quest. princip. Jacob. de S. Georg. in tract. Feud. pert. Quid sit rex, 2. fol. num. 7. in leg. Nemo potest, ff. de leg. 1. column. 2. num. 4. Palac. Rub. in repet. cap. Per vestras, fol. 100. 1. column. num. 8. Cifuent. in hac leg. 40. Taur. 17. quest. Quod tamen notabiliter limita & intellige, quando majoratus consistit in jurisdictione, vel administratione, ut Regnum, Ducatus, vel quid simile; nam lex, consuetudo, vel dispositio quæ vocat primogenitum ad successionem, debet intelligi de habili, secus verò de inhabili, per supradicta. Si verò majoratus non consistit in jurisdictione, vel administratione, sed tantum in pura & simplici successione bonorum, tunc benè succedit talis primogenitus, licet sit demens, furiosus, vel mente captus; quia quando agitur de successione bonorum, ipse est capax ex testamento, vel ab intestato, sicut quilibet alius sanæ mentis, ut in leg. fin. §. Tali, Cod. de Cura. furios. & in §. Fui, Institut. de Hæred. quæ ab intest. deferrunt. (u)

70 Decimosexto principaliter quæro, an primogenitus possit cedere & renuntiare jus primogenituræ in sequentem in gradu? Et breviter dico quod sic; ita probat textus notabilis in cap. Quam periculosum casus. 7. quest. 1. cujus verba sunt. Quam periculosum sit in divinis rebus ut

quis cedat juri suo & potestati, Scriptura Sacra declarat; cum Esau primatus suos inde perdidit, nec recipere postmodum potuit quod semel cessit, & per illum textum ita tenet Hostien. Joan. Andr. & communiter DD. extra, de Voto. Bald. in cap. 1. Præterea. num. 2. ff. Quibus mod. feud. amit. Martin. de Laud. in tract. de Primogen. 23. quest. Jacob. de S. Georg. in leg. Cum antiquioribus, Cod. de Jure deliber. fin. column. numer. 21. Cifuentes in hac leg. 40. in l. Taur. 14. quest. Quod tamen limita & intellige, quando primogenitus, qui renuntiat, esset major 25. annor. secus verò si sit minor; quia posset se restituere, nisi jurasset; argumento Authent. sacramenta puberum, Cod. Si adver. vend. ita tenent & declarant Mart. Jacob. de S. Georg. & alii DD. ubi supra. Item etiam limita & intellige, quando primogenitus jam successerat in majoratu: secus verò si pater ejus, vel prædecessor viveret; quia tunc ejus voluntas & consensus requiritur cum perseverantia usque ad mortem, argumento text. in leg. fin. Cod. de Pact. Et in expresso ita tenet Bald. in Authent. hoc amplius, Cod. de Fideicommiss. 3. column. num. 10. Quod est notabile. Cujus ratio est, qui tali casu in effectu videtur factum & celebratum pactum de futura successione certo modo dividenda; cum tendat in favorem alterius filii post eum vocati ad majoratum: Nec differt, quod tale pactum fiat soli patri & possessori, vel fiat patri & filio successoribus; quia utroque casu censetur pactum de futura successione certo modo dividenda; cum sibi ceditur & donatur major pars & successio bonorum, & vide latius in leg. 22. supra his legibus num. 30.

71 Decimoseptimò principaliter quæro, an pater possit privare filium primogenitum jure majoratus & primogenituræ? Et breviter & resolutivè dico, quod non, nisi ex magna causa, per quam posset eum exhæredare, & privare sua legitima; argumento text. in Authent. ut cum de Appell. cogn. cap. Causas, collat. 8. & in leg. fin. Cod. de Revoc. donat. Et in expresso ita tenent Hostiens. Joan. Andr. & comuniter DD. in dict. cap. Licet, de Voto. Alber. in Proxio, Digest. Vet. §. 8.

§. 8. glos. 1. pro qua sententia est textus expressus in leg. 3. ad med. verb. Todas estas cosas, tit. 15. part. 3. Gregor. in leg. 2. tit. 15. part. 2. verb. Seyendo home para ello. Molina. lib. 1. cap. 13. n. 15. Matienz. quam plures alios cumulans in leg. 1. tit. 7. glos. 1. num. 14. lib. 5. Recopil. De muto, & surdo vide Molin. lib. 1. cap. 13. num. 46. usque ad 65. de cæco, num. 66. & 67. ubi latè de istorum successione in majoratu agit.

(u) Hanc limitationem probat Tiraquell. alios referens de Primogenit. quest. 23. num. 5. Menchac. de Succession. creatione. §. 2. num. 148. Molin. lib. 1. cap. 13. num. 22. Matienz. in leg. 1. tit. 8. lib. 5. glos. 1. num. 15. & in expresso ita tenet & declarat solus Joan. le Cirier in tract. de Primogenit. in 3. lib. 4. quest. princ. vers. Salva reverentia.